DE
FABRICIO BORGIA
FERENTINI EPISCOPO
ORATIO FUNEBRIS
STEPHANI BORGIÆ
NEPOTIS
AD
CIVES VELITERNOS



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

VELITRIS, MDCCLV.

Ex Typographia Cæſaris de Sartoriis Bibliopolæ, & Calchographi, Epiſcopalis, & Publici.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO FUNEBRIS.

QVamquàm alii Oratores de FABRICIO BORGIA nuper in Eccleſia ſua Ferentinati defuncto luculenter dixerint, aliquid tamen in hac communi Patria, Cives Ornatiſſimi, à me dicendum videtur; tum quòd nemo illorum orationem ſuam vulgaverit, cum etiam quòd ejus laudes in hac potiſſimùm Civitate recenſeri oporteat, ad quam præcipuè ſpectant. Conſtat enim eorum, quæ à Civibus præclarè fiunt, magnam laudis partem à Patria ſibi vindicari, ac præſertim ſi optimus aliquis inde emergat, qui in ipſa Patria virtutis ſuæ argumenta dederit, & egregiè factorum poſuerit Tyrocinium.

Nemo autem Orationem meam ſuſpectam habeat, quòd ego, qui Defuncti ſum ex Fratre Nepos, laudes illius proſequi contendam. Fuit id apud veteres Patres non inſuetum, quod ex Orationibus Sanctiſſimi Viri Gregorii Nazianzeni de Parentis defuncti, aliorumque Conſanguineorum laudibus abundè patet. Non ad jactantiam, ſed ad pietatem, gratumque animum id tunc referebatur, prout C. Julius Cæſar retulit officium C. Octavii Civis noſtri, & mox Imperatoris Auguſti, qui duodennis Juliam Aviam ſuam defunctam publicè laudavit. Neque ſuſpecta erit cuique fides Orationis meæ, cum apud illos

dicam, qui Virum, de quo agitur, ejuſque virtutem, ac res geſtas optimè norunt, apud quos dicere non auderem, quæ ſtatim poſſent de falſitate redargui. Dicam itaque ſine gratia, ſine ambitione ulla; ſed ad prodendam tantùm, ſervandamque veritatis memoriam; quæque de illo jam ab aliis prædicata ſunt, eadem ego cum fiducia repetam, tum ad levandum apud meos domeſticum luctum, cum apud omnes ad incitamentum virtutis. Profecto video tanto muneri mihi delato, quàm impar ſit ingenium, & eloquentia mea. Hanc tamen facilè ſuſtinebit Civitas noſtra, quæ ſingulare quoddam Decus, & ornamentum in obitu Fabricii Borgiæ ſe amiſiſſe ſentit, ac dolet. Neque ullum in tanto Civium concurſu, atque frequentia intueor, qui non ſit hujus Præſulis deſiderio, ejuſque funeris memorià vehementer commotus. Ego itaque, qui viros optimos omni ſemper laudationis officio dignos eſſe putarim, hoc tam egregium, honeſtumque laudandi munus in funere Patrui mei, & Civis, & Epiſcopi optimi prætermittam, quod nec eloquentiam, nec ætatem, nec auctoritatem, quæ in me nulla eſt, huic loco ac muneri parem me præſtare poſſe confidam? Minimè quidem; ſed omnem ſpem meam atque conſilium in Vos, ornatiſſimi Cives, coniiciam. Soletis enim pro innata vobis humanitate, quum de laude clariſſimi Viri agitur, aures veſtras incredibili quodam ſtudio accommodare. Verùm ne multarum, & magnarum rerum, de quibus dicendum eſt, ubertas modum orationis excedat, ſtatui ſummatim omnia complecti brevi, & perſpicua narratione.

Nihil dicam de veteri gloria, & ſplendore Civitatis, ubi ille natus eſt, quæ rerum à ſe geſtarum antiqua recordatione, & præſtantia Civium, & Romani Imperii per C. Octaviū Veliternum fundatione, aliorumque multorum Heroum Natalibus, vel origine cum præcipuis Italiæ Vrbibus non immeritò comparatur. Nihil de Familia voſtra vobis ſatis nota, & perſpecta, in qua ille Velitris unus ex duodecim Filiis optimi Viri Clementis Herminii Borgiæ Avi mei, & lectiſſimæ Fœminæ Ceciliæ Carboniæ anno ſalutis MDCLXXXIX. natus eſt. Nihil laudi duco Alexandrum Firmanæ Eccleſiæ Archiepiſcopum & Principē Fratrem habuiſſe. Sed ſtatim venio ad ejus propria ornamenta, quæ non fortuna aut natura, ſed virtute ac ſtudio ſibi comparavit.

Quis

Digitized by Google

Quis enim, ut à vita incipiam, non jure miretur omnis ætatis ſuæ inſtitutione, nihil aliud Fabricium, quàm aditum ad veram gloriam laborando quæſiviſſe? Ideo pueritiam litteris erudiendam, adoleſcentiam bonis artibus ornandam totis viribus curavit; ad decem præſertim vitæ annis, quos apud Patruum ſuum Joannem Paulum Borgiam, virum probitate, doctrina, & prudentia, ac veteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ cultu in primis commendatum, Romæ tranſegit. Quicquid otii dabatur num ne ad ignaviam contulit, vel ad ſocordiam, vel ad luxum? Nihil prorſus, ſed ad ſcholaſticos labores; juventutem autem ita compoſuit, ut in ea ætate auctoritatem ſenum jam obtinere videretur. Quum verò ad virilem ætatem perveniſſet, exiſtimans non ſolùm ſibi natum eſſe, ſed procreatum quoque ad utilitatem cæterorum, palam cæpit derivare fructus ſapientiæ ſuæ. Teſtantur Oppida Diœceſis Veliternæ, quam integritatem, gravitatemque, & quę prudentis animi conſilia præſetulerit, quoties ab Epiſcopis noſtris, dum Cathedralis Eccleſiæ Canonicus eſſet (is enim honoris locus illi ab adoleſcentia contigerat) ad ea viſitanda aut ductus, aut miſſus eſt. Teſtantur pietatem ejus ac Religionem ipſa D. Gerardi Veliterni Epiſcopi monumenta, & reliquiæ, quarum translationis brevem Hiſtoriam nitidè in prima juventute deſcripſit. Teſtantur denique acta Cathedralis Eccleſiæ quanta ſolertià egerit quicquid ſibi committebatur. Vix autem negocium aliquod arduum, ac difficile inter Capitulares noſtros fuit, quod illi non committeretur.

Verùm ad te, Firmana Provincia, oculos converto. Frater ejus Alexander a Nucerino Epiſcopatu ad Firmanum Archiepiſcopatum à Benedicto XIII. recolendæ memoriæ Romano Pontifice translatus fuerat, cum Fabricium Firmum delegavit, tum ad ineundam Eccleſiæ illius poſſeſſionem, cum ad ea diſponenda, quæ prò adventu ſuo parari oportebat. Illi etiam ſuas vices commiſit, eum ſibi ſocium aſſumpſit, & ad viſitandam ampliſſimam Diœceſim, ac etiam ad peragendam Provincialis Concilii celebrationem, cujus acta cum Benedicto XIII. Archiepiſcopi, & comprovincialium Epiſcoporum nomine Fabricius offerret, mirum quantum gratiæ incrementum ſibi apud Benedictum comparaverit; cujus memoria ob perpetuam vitæ

Sanctimoniam, & erectæ in Deum ejuſque cultum ſingularem mentis ardorem, in benedictione omnium Populorum eſt, ac ſemper erit: Cui Familia noſtra, & univerſa hæc Civitas plurimum debet, quique Viros de re Eccleſiaſtica benemeritos optimè norat, ſummopere diligebat, & congruis præmiis promptè, & liberaliter proſequebatur. Igitur eum Romæ manere juſſum, & gravibus in rebus adhibitum mox Ferentinati Eccleſiæ præfecit; ſcilicet Eccleſiæ illi, quam Civis noſter ex Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci Jacobus nomine ſæculo XIII. rexerat, ſæculo verò ſuperiori Joannes Carolus Antonellius, qui mihi tertiò eſt magnus Avunculus, cujusmemoria & apud Nos, & apud Ferentinates ob egregiè geſta, imo etiam apud omnes utriuſque Juris cultores ob plura, & præclara edita ingenii ſui monumenta magna ſui nominis commendatione verſatur. Cum autem per ea tempora Alexander Frater, & Archiepiſcopus Firmanus Velitris commoraretur, ab eo Benedictus Fabricium voluit ſolemni ritu in noſtro ſummo Templo ſacrari, raro admodum exemplo, ut Frater à Fratre, & quidem in Patria ad Pontificalis Ordinis apicem eveheretur. Kalendis Januarii in Circumciſione Domini anni MDCCXXX. ſacra actio peracta eſt, duobus cum Archiepiſcopo cooperantibus Epiſcopis, quos honoris cauſſa nomino, ſcilicet Ludovico Antonio Cremona Valdina Hermopolitano, & Cajetano de Paulis Cive noſtro Epiſcopo Caradienſi Suffraganeo, & Archipresbytero Veliterno, quem in clade illa epidemica poſt fatale bellum anni MDCCXLIV. ſublatum adhuc dolemus. Mox Benedictus octavo Idus ejuſdem Januarii Fabricium noſtrum inter Prælatos Domeſticos, & ſupremo ſolio adſiſtentes meritò adſcivit.

Vos Auditores cavete ne opinemini me de ejus vita ſatis diſſeruiſſe, fateor enim nihil adhuc magni ponderis eſſe proditum. Plura ac majora reſtant, illa ſcilicet Vitæ pars, quam in Epiſcopatu tranſegit, quæ cum in omnium oculis fuerit, tutò a Nobis hoc loco abſque arrogantiæ, aut adulationis ſuſpicione recenſeri poſſe confido. Videamus primò ſeveram Domi diſciplinam. Surgebat ille valde diluculo, ſuamque Familiam, & Epiſcopalis Seminarii Clericos, aliosque Eccleſiaſtici Ordinis Viros, qui in Civitate erant, orando ac meditando per horam & amplius exercebat. Deinde Pſalmis recitandis, & ſacrificii incruenti

cruenti

cruenti celebrationi operam dabat ; inde omnes audire (nulla enim apud eum audiendi difficultas) Litteras per Diœceſim dare , negocia prompte , & alacriter expedire. Iis autem menſa ſuccedebat , quæ non ſupramodum lauta nec otioſa , ſed talis erat, qualem Epiſcopi eſſe decet , Prandebat cum Familiaribus ſuis, refectio animi potius, quàm corporis intendebatur. Sacra lectio aſſidua , ac de moralis Theologiæ caſibus quotidiana diſputatio. A prandio poſt brevem quietem accurrentibus aures præbere , inde moderata deambulatione exercere corpus ad tuendam valetudinem ; ſub noctem verò iterum ad Pſalmos , & ad conſuetas Roſarii Beatiſſimæ Virginis Mariæ preces , quibus cuncta Familia intererat Lauretanas laudes feſtivo more decantans. Cœna denique illi erat, aut levis, aut nulla ; ſed ſi vellem ſingillatim diſcutere actiones ejus , & labores , quos lubentiſſimo animo ſubibat , longior , quàm par eſt habenda eſſet oratio . Illud præterea vereor, ne quo plura enumerem , eo magis recrudeſcat noſter dolor , qui me in dicendo impediat, & vos , præclariſſimi Cives , reddat in audiendo tardiores. Quamobrem ea pertranſibo, cum aliò feſtinet animus . Vos non ignoratis illum nihil magis obliviſci ſolitum , quàm injuriarum . Tantæ fuiſſe humanitatis, ut communis omnium Parens videretur. Neminem læſit, neminem triſtem dimiſit, neminem quem auctoritate , aut conſilio, aut ope non adjuverit. Verbo non aſper , actione non piger , opere liberalis.

Sed regiminis ejus methodum intueamur. Vix ad Epiſcopatum acceſſit , cum Diœceſim viſitare , ſingula quæque loca adire , mores emendare , Pueros confirmare , quæque ad Dei cultum ſpectant, ubique ſtatuere. Verùm luſtrata Diœceſi, ut illam egregiè componeret, & ſtabili, ac perpetua norma , tamquam Vineam à Deo electam in ſpem uberioris fructus erigeret, Synodum celebravit Menſe Aprili anno 1732. ſcilicet tertio anno ab Ordinatione ſua , cujus Conſtitutiones mox editas tum propter rerum copiam , cum propter prudenter apposita malis remedia, & ad rectam diſciplinam , aut reparandam, aut retinendam præſidia nemo non miratur . Synodum quidem ſemel egit , ſed ſingulis trienniorum periodis eamdem Viſitationem repetendi uſque ad exitum vitæ etiam inclinata ætate , ægraque valetudine conſtans illi mos fuit. Cultum D. Ambroſii Marty-

ris

Digitized by Google

ris Ferentini præcipui Patroni, cujus memoriam novo condito Altari in eo Epiſcopii loco, ubi fortiſſimus ille Chriſti miles vinculis conſtrictus jacuerat, ſummopere ampliavit, ſacro ejus corpore adinvento, ac rite translato, de quo Martyre Homiliam habere ſolitus, ut in ſingulis majoribus per annum ſolemnitatibus conſueverat, Homiliam ipſam, & Officium edidit, ac etiam de aliis Sanctis, qui Ferentini coluntur. Clericorum Seminario ampliando non ſtudium tantùm, & conſilium adhibuit, ſed manum quoque porrexit adjutricem, poſtquam Cathedrale Templum ſacra, & divite ſupellecti donaſſet.

Sed cum in Seminario Epiſcopali neque omnes, neque multi Clerici propter rei familiaris anguſtias poſſent inſtitui, cupiens ſingulis per univerſam Diœceſim conſulere, ſtatuit ut non ſolùm illi, qui initiati eſſent, ſed etiam alii, quibus in ſpem ſacræ Ordinationis Clericalem habitum geſtandum indulſerat, quotidie manarent apud publicum in Patria ludi Magiſtrum, ubi in quamdam Seminarii ſpeciem, abſque ulla pauperum Parentum impenſa orationi, lectioni, ac ſtudio litterarum vacarent, nec unquam disjungerentur, præter Domi meridianis horis, ac ſero receptum. Ita ut una ſimul animorum relaxatione, & corporis exercitatione congruis horis uterentur. Sapienter edidit de his opportunas regulas, quæ palam circumferuntur.

Verùm Epiſcopi vigilantia non præſentẽ tantùm Diœceſis ſtatũ contemplabatur, futurum quoque proſpiciebat. Cum autem in ea Diœceſi modicus eſſet Operariorum numerus, & Epiſcopus præſertim careret Presbyteris, qui per ſacras Miſſiones Diœceſim excolerent, opportunum inivit conſilium accerſendi ſcilicet in Diœceſim Clericos Regulares Dominicæ Paſſionis, cujus author primuſque Parens Paulus nomine, illi amicitia conjunctus erat. Statuit itaque illi dare ædes Monaſterii Menſæ Epiſcopali uniti prope Ceccanum Oppidum, ut ibi ſedem figerent, & jugiter per Diœceſim excurrerent, Populoſque ad pietatem informarent, a vitiis deterrerent. Multum in id operis Epiſcopus inſumpſit, plura largitus; ſed fructus inde in ſalutem Populorum per Diœceſim manans longè uberior eſſe videtur. Porrò ſi nihil amplius quàm pium hoc opus Fabricius in Diœceſim illam invexiſſet, id unum ſatis foret, ut memoria ejus in laude,

de, ac benedictione perpetuis futuris temporibus apud Poſteros haberetur.

Fortè vobis, ò Auditores, ex tanta Epiſcopi ſollicitudine & in curandis rebus, quæ ad æternam animorum ſalutem ſpectant ſedulitate, ſuſpicio ſuborietur, illum (ut à nonnullis fieri ſolet) menſæ ſuæ regimen, ac temporariæ ſubſtantiæ diſpenſationem neglexiſſe. At contra rectè tenens monita Iſidori ſanctiſſimi Epiſcopi (1) Eccleſiæque Doctoris, *providentiam in cunctis adhibuit diſtributione diſcreta*. Vix Epiſcopium ingreſſus novum Ædificium à Præceſſore erectum illi acceptum referens ejuſque nomine cum laude ſervato, penitus abſolvit; alia etiam ibidem, aut reparavit, aut auxit, & confluentibus exteris, allectiſque aliarum regionum colonis Agrorum cultum ita reſtituit, ut brevi proventus Menſæ ſuæ ad tertiam ſupra priores duas partes accreverint magno ſucceſſorum compendio, nil veritus in id conferre, quæ ſibi vel ex Patrimonio, vel ex aliis Eccleſiaſticis redditibus contigerant.

Quæ verò illi fuit diſpenſationis providentia paucis accipite ex ejusdem Iſidori (2) verbis: *curam pauperum gerere, eſurientes paſcere, veſtire nudos, ſuſcipere peregrinos, Viduas, ac Pupillos tueri*; & quidem tanta apud illum hoſpitalitatis laus ac diligentia fuit, ut ſummos Viros, medios etiam, atque infimos, non ſolùm alacer exciperet, ac lætus ipſum adeuntes, ſed etiam quæreret ut adirent, rogaret ut manerent, adhibità ſingulis congruà liberalis charitatis menſurà; Ejuſque Hoſpitalitatis fama ita Provinciam pervaſerat; ut vix quiſquam Ferentinum attingeret, qui Epiſcopium illud tamquam commune omnibus diverſorium, paratumque receptaculum non frequentaret.

Sed de illo erat non in Civitate ac Diæceſi tantùm, verùm etiam apud finitimos Epiſcopos ac Præſules, imò etiam in Romana Curia talis ac tanta opinio, ut ardua quæque, quæ in illis partibus occurrebant negocia, ejus arbitrio committerentur. Omnes quidem eum optabant, aut Judicem, aut Arbitrum, aut Interceſſorem; & quidem cum in moleſta inciderit tempora regimen ejus, turbata univerſa regione bellicis motibus, in Fabricio potiſſimum fuit publicæ ſalutis ſpes. Hoc illi fa

(1) Lib. 2. Officior. (2) Ibidem.

li familiare erat, àc ferè quotidianum lites dirimere; cauſſas componere, labores ferre, diſcrimina ſubire. Lucium Lucullum magna rerum recordatione viguiſſe legimus, majori tamen verborum copia uſum eſſe Hortenſium: Hic verò cum miro quodam modo in utriſque valeret, utraque præſtabat ad negociorum expeditionem, quæ maximè difficilia videbantur. Appoſitè unus ex præcedentibus Oratoribus dixit: Ferentinates ipſos quo magis dilectum, quo magis in eo fiderent, eo magis importunis laboribus Epiſcopum ſuum fatigaſſe, ac tandem oppreſſiſſe.

Luctabatur enim Epiſcopus jam ab anno MDCCXL. cum adverſa valetudine, animus quidem erectus, ac ſibi præſens, corpus autem fatiſcens, & caro infirma. Nihil intentatum omiſit ad valetudinem reparandam. Hinc præſtantiſſimorum Phyſicorum conſilia frequenter adhibita, varia artis medicamenta tentata, Cœli mutatio, itineris frequentia, variarum per Italiam aquarum balnea, ſæpe etiam cum ſucceſſu; ſed cum ille non poſſet avelli à Diæceſi ſua, ſtatim illuc redibat, & præſertim ingruentibus periculis, & malis, ſe à Diæceſanis ſuis deſiderari non eſt paſſus. Tandem anno Jubilei MDCCL. poſtquam Romæ fuiſſet Indulgentias lucrandi cauſſa, ſe mortalem eſſe ſentiens, & diem Domini appropinquare, in ipſa Romana Vrbe ab Equite Queirolo egregio Sculptore parari ſibi marmoreum Monumentum mox in Cathedrali ſua ſtatuendum juſſit, atque hæc ibi inſcribi voluit,

FABRICIVS BORGIA VELITERNVS EPISC. FERENTINI
ANNVM VITÆ AGENS LXI. EPISCOPATVS XXI.
SIBI QVOTIDIE MORIENTI
AD CONTEMPLANDAM ÆVI SUI BREVITATEM,
CLERO, AC POPVLO APPRIME DILECTO
AD REQVIRENDA ÆTERNITATIS VIATICA,
POSTERIS AD IMPLORANDA SVFFRAGIA
AN. JVB. MDCCL. P.

Verba equidèm Chriſtiano Præſule digna, nihil ad jactantiam, omnia ad meditationem mortalis vitæ, omnia ad expiationem animi, & æternitatem. Fixa deinde & immota hæc illi cogitatio fuit, ita ut cum de viduata Eccleſia Reatina nobili in pri-

mis

Digitized by Google

mis, & haud procul ab Vrbe ſibi ſermo inferretur, ſtatim reſponderit ſe eo jam perveniſſe, ut potius à munere abſolvi, quàm novi Epiſcopatus ſarcinam ſibi ſineret imponi.

Igitur quamvis ipſe poſtridie Kalendas Septembris ſuperioris anni ſublatus ſit obitu repentino paucas inter horas poſtquàm publicè Cauſſas Fori ſui audiviſſet, non propterea dicendum eſt eum ex improviſo defunctum, qui inſtantem ſibi mortem jam ab aliquot annis ſeriò meditabatur. Eripuit quidem illum Clementiſſimus Deus ab extremis morborum moleſtiis, quia neceſſe non erat eum per has admoneri de ſupremi Judicis adventu, quem ille quotidie præſtolabatur. Huc ſpectat quod Epiſcopus noſter præclarè de virtute ſentiebat, ſine qua nihil eſſe in hac vita magnopere expetendum, contra verò propter virtutem extremos corporis dolores, pericula mortis, & ipſam denique mortem forti animo tolerandam. *Doctrina* enim *Viri*, ut in Proverbiis eſt, (3) *per patientiam noſcitur, & gloria ejus eſt iniqua prætergredi*. Cur ita? quia cum de animorum immortalitate religioſè ſaperet, neminem Cœlum adire poſſe arbitrabatur, niſi qui virtutem coſtanti animo coluiſſet. Coluit ipſe uſque ad exitum vitæ Annis ferè LXV; ac præſertim XXV. poſtremis, quibus Eccleſiam Ferentini adminiſtravit. Quid ergo de Fabricio arbitrabimur, niſi eum à Deo eſſe laborum ſuorum præmio in Cęlo donatum. Quod ſi ex terreno pulvere quicquam in eo ſordeſceret, rectè putamus præclaris pietatis operibus deterſum, & frequentibus Chriſtifidelium ſuffragiis non Ferentini tantùm, eaque in Diæceſi, ſed etiam hic, & in Portu Antiatum, apud Cæſarem fratrem ſuum Hieroſolymitanæ Militiæ Equitem illi Orę Præfectum, Romæ etiam, ac Nuceriæ, & in Oppido Gualdi, ac denique Firmi, & in perampla Piceni regione, contendentibus ſingulis, qui eum noverant, qui ſapientiam experti, qui beneficia acceperant, optimo Præſuli non ſolùm lacrymis parentare, ſed etiam precibus, & ſacrificiis apud Deum ſuffragari.

Vos quidem, Cives præſtantiſſimi, revocate quæſo ad memoriam, quomodo ille ſe vobiſcum geſſerit, non ſolùm cum inter vos verſaretur, ſed etiam cum Ferentino præeſſet. Non ne ſemper præſto fuit, ubi Vos ejus conſilio, aut opere indigeretis?

Non

(3) Ibidem.

Digitized by Google

Non ne multam ſemper veſtrum habuit rationem, cum de Adminiſtris, & Familiaribus eligendis, cum de Beneficiis diſtribuendis, ſepoſitis etiam Conſanguineis, ageretur? Cum Patria hæc militari Exterorum licentia oppreſſa eſſet, cum bellici furoris vi intus, & extra ab innumeris Copiis inter ſe decertantibus concuteretur, cum tetrus aer, & ſordibus immundus poſt fatale bellum in perniciem Civium graſſaretur, ubi nam tutius, paratumque omnibus confugium fuit, niſi apud Epiſcopum Ferentini? Fecit ille quod ex Patriæ charitate Civibus ſuis debebat, Vos, optimi Cives, reddite modò quod debetis, ac præter ſuffragia perpetuam memoriam, & gratiam.

De Ferentino ſiquidem nihil audeo dubitare: præſertim cum præter illa, quæ vivens Epiſcopus egit, pia etiam Defuncti mens, quamvis dubia, atque imperfecta, ubi ab Hæredibus conijci potius, quàm intelligi potuit, ſtatim eſt executioni mandata. Itaque donec Cœnobium Clericorum Regularium Paſſionis Domini Ceccani ſteterit, donec novæ Seminarii Ædes aſſurgent, novuſque ex illa Civitate Alumnus juxta Defuncti mentem ibi pietate, & litteris imbuetur, donec in ſummo Templo novus Præbendarius ex ipſius beneficio Divinæ Pſalmodiæ intererit, donec Frumentarius Mons ex poſtrema meſſe, quam non ſibi, aut Hæredibus, ſed Pauperibus, verè Pauperum Pater, prodeſſe voluit, eorum inopiam ſublevabit, Fabricii vigilantia, pietas, ac liberalitas grata recordatione in Diæceſi illa prædicabitur.

Quæ omnia ideo à me commemorata ſunt, ut lacrymas atque mœrorem ex ejus funere ſuſceptum tandem temperemus. Non enim tam mæſtos nos eſſe oportet ex ejus à nobis diſceſſu, quàm læti eramus, cum ejus præſentia, qua, dum viveret, jucundiſſimè aliquando fruebamur. Nobis autem potiſſimum incumbit, ut qui Fabricium Borgiam arcta ſanguinis conjunctione attingimus, ejus quoque virtutem imitemur. Nobis ob oculos jugiter verſetur præclara ejus imago, quam referre non per alienam materiam, & artem, ſed oratione mea conatus ſum. Memoriam ejus, quam laudibus celebravi, æternam immortalemque perficere conemur, & ne degeneres habeamur, virtutem ejus, & gloriam amplius imitatione, & opere declaremus. Dixi.

F I N I S.

Digitized by Google